

Klosters, namentlich derer in Casaprato, von allen Missbräuchen befreit wissen; ermächtigt die Mönche, Wasserleitungen anzulegen, Schenkungen zu empfangen, Tausche einzugehen; entkräftet dagegenlautende Urkunden.

1165 Juni 3, im Felde von Anagni.

In nomine sancte et individue trinitatis. Christianus dei gratia imperialis aule cancellarius et legatus.

Benignitas imperialis ad hoc vicem suam in Italia gerendam nostre ordinationi specialiter commendavit, ut ecclesias dei et ipsarum iura ac possessiones conservemus et tueamur, et illas pre ceteris promoveamus ac honoribus decoremus ecclesias, que specialius ac devotius pre ceteris ecclesiis imperio deservire consueverunt et preclara semper obsequia impenderunt. Proinde notum fieri volumus universis imperii fidelibus presentibus atque futuris, quod nos auctoritate imperiali et nostra venerabilem abbatem Frisianum Burgi sancti Sepulchri pro eius fidei servitio ac preclaro obsequio eiusque successores et ipsius monasterium iuraque omnia ac possessiones, quas nunc possidet et annuente deo ipsi monasterio in posterum conferentur¹ et specialiter omnia illa iura, dominium quoque Burgi et libertates illas, quas illustris sancte Coloniensis ecclesie electus et Italie archicancellarius Reinaldus eidem monasterio privilegio suo contulit² et maiestas imperatoria suo scripto confirmavit³, in protectionem domini imperatoris et nostram suscipimus, confirmantes et firmissime precipientes auctoritate, qua fungimur, quatenus hec omnia memorato monasterio rata et illibata omni tempore permaneant. Possessiones et res burgensium eiusdem monasterii, quas nunc iuste habent vel inantea cum voluntate monasterii sancti Sepulchri legaliter acquisiverint, homines quoque omnes ipsius monasterii et specialiter illos de Casaprato et eorum bona ac possessiones ab omni mala usuria liberas et absolutas esse decrevimus⁴. Concedimus quoque fratribus sepedicti monasterii, ut eis liceat aqueductus pro utilitate et commodo ducere [sine] alicuius reclamazione vel contradictione. Si quis et liber homo res ac possessiones suas eidem monasterio pro salute anime sue seu aliquo contulerit concambio, liceat eiusdem monasterii fratribus libere suscipere ac quiete possidere. Adiicientes quoque firmiter

1) *deo annuente conferentur* Friedrich I. und Reinald. 2) Zuletzt gedruckt bei Prutz, Kaiser Friedrich I. I, 446. 3) St. 3989, zuletzt gedruckt bei Prutz a. a. O. 448. 4) Hiernach kann der in allen Drucken verderbte Satz der Urkunde Friedrichs I. berichtigt werden.